B. N. C.
FIRENZE
1115
2

1115. 2

Digitized by Google

P. N. N.

DE QUERELIS PROBABILISTARUM

AD

P. DANIELEM CONCINAM.

ORD. PRÆD.

SERMO I.

VERONÆ MDCCXLIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERMO I.

Conſilium laudo , (1) Daniel perdocte, quod acri
Cenſura exagites hominum parcentia pravis
Scripta cupidinibus, morumque impune magiſtros
Uſque adeo molles; verum qua ætate requiras,
Quos ita plectendos ducis , neſcire videris
Quoſcumque incurſans. Quid agis? [2] Non incidit ullus
Tempora in hæc Scriptor, calamo cui digna litura
Exciderint unquam, (3) nec quidquam ſanctius illa,
Quam culpas, forte alterutra ſit lege repoſtum
Doctrina; introrſum quæ ſi (quando acrius illam
(4) Expendis) poſſit tantiſper fœda videri,
Atque hominum detur mentes avertere recto,
[5] Guſmanæ id certe Genti , noſtroque referri
Medinæ acceptum deberet. Quid bona namque
Gens Lojolliadum admiſit, [vultuque , habituque
O Sanctam Gentem!] quod tu reprehendere poſſis
Tanta bile tumens? (6) Magnis Auctoribus illam
[7] Jam pervulgatam Doctrinam nempe ſecuta eſt,
Utque olli rebus mos eſt adferre nitorem
Aut verbis, aut ingenio nova procudendo,
Non aliam magis excoluit; præſtantius eſſe

Haud operæ pretium rata, quam conarier, ut, quod
Iluſtris Scholæ Scriptor vulgaverat, omni
Excultum magis ex parte, imo pene recuſum
Dogma in vulgus prodiret. Tamen una dolendi
Cauſa tibi fuerit; quî cetera noſſe videri
Quum velit, atque aveat peccata retexere noſtra,
Adſictam labem, Munuſque inſigne negatum
Virgineæ Matri, aut Janſeni dogmata ubique
Noſtrorum jungenda loco, male vociferando;
Demum tantopere Medinæ arriſerit error,
Unus culpari dignus fortaſſe magis, quam
In noſtris aliud quidquid faſtidit, & odit
Nunquam non prave, atque inſcite, ut non ſatis ipſe
Exactus videatur, & emendatus Aquinas?
[8] *Quod propius vero eſt ut dicam: Non erat alter*
Ad genium magis effictus, moremque ſuorum,
Et quo magna magis præclare poſſet agi res.
Eccur quando erat in promptu quo laude clueret,
Stemmatis ad cultum totumque adſciſeret Orbem,
Stulte ceſſaret? tali clareſcere pacto
Abnueret nullum ſe conſcia adire periclum
Famæ, ſed fortunari quocumque cadat res?
[9] *Si viget, & plauſu excipitur formare benignos*
Iſtæc una potens morum doctrina Magiſtros,
Aut aliquis Doctore roget quo addiſcere poſſit,
Segnerum adire jubet, jubet & verſare Terillum,
Queis ſucci plenis hærendum clamitat unis,
Et longe ante alios laudat, numeratque: repente
Si quid conſequitur, quod jam diplomata Romæ
Dam-

Digitized by Google

Damnent, noſtratis culpa eſt, Medina fefellit.
(10) *Baunius ad cœnam Divum tumido ore recentem*
A turpi ſcelere impellit; tu durior arces
Illum etiam, externa tulerit cui gaudia nocte
Vel conceſſa Venus: Quid demum? Sanctior ille,
[*Adcuſat quum nemo*] *& gnarus more ſuorum*
Ægrotos tractare animos laudatur ob ingens
Inventum, Cœlique viam ſapienter apertam,
Janſeni renuat quam ſolus inire ſatelles:
[*Hoc tu jam numero forſan cenſeris*] *at unus*
Si velit, atque alter dictum culpare pudendum,
Atque aliquod meliore aliud non vindice dignum
Vir bonus, & prudens, venia vix indiget idem
Scriptor, propterea quod nos peccavimus, in nos,
Iſtæc qui ut ruerent in fœda præivimus, atrox
Conflatur bellum, belloque infamia pejor.
Hæc agitent ipſi quum vulgo ſæpe libellis,
Atque hoc tutentur lare ſe ſe, & ſtemma beatum,
Ridendi ſane ſi me, pro more, maligni
(11) *Compilaſſe crepent Paſchalis ſcrinia: (quamquam*
Illum plus juſto non odi) ſcilicet ipſi
Quid tibi conducto nuper Scriptore reponant,
Utque negent de ſe, ſtatuant quod faſque, nefaſque
A longe ductis nimium rationibus, & quod
Illorum quiſquam ſtulte ſibi ſumſerit iſtuc,
Ut mala doctrinis vitia incruſtaret ineptis,
Id volui narrare ipſum: num torris Averni
Propterea fuerim, & Genus irritabile tandem
[12] *Debuero moriens venia placare petita?*

Quid

[13] *Quid? ſi qua peccet nil curans unus, & alter,*
Et fictum quodcumque ſcelus concredere chartis,
Quod ratio vetet, & pudor, atque inhoneſta peroſus
Propudia, id ſolum inſtituam, quod ſplendida bilis
Extimulet agitare: puta, num Actore triumphet
Gratia Lemoſio victrix; *non Urſius eccur*
Sit pumilo major Phædro; quæ cauſa Noriſcum
Impulerit doctum ſatyris traducere, quæque
Aut manes vexare pios, aut lædere vivos
Cenſura infami, quam ſolus cudere poſſit
Livor, & invidia, obtrectandi & fœda libido;
Quales nunc referat (jam putre eſt ulcus) bonores
Depulſus toties ſacris Confuſius aris;
Et cupido narrem Lectori qualia dudum,
Et quanta indigne tulerit (14) *plebecula Vini*
Potrix, & Vaccæ carnes conſumere nata:
Hæc, inquam, ſi agitem nigram denunciet horam
Qui nihil intactum niſi ſe cupit eſſe, ſuoſque?
Haud ſane: mihi nec patiar dictare quid æquum
Poſtulet, & ratio, juſti contemptor, & æqui
Qui ſit, quique aliis, quod jam reprehendere poſſit,
Adfingens, ſemperque paratus cædere, non hoc,
Stulte vociferat, non eſt impune ferendum.
Sed nec Boeotum in craſſo ſumus aere nati,
Ut ſi dicamus pro Relligione peractum
Quid ſit, & hanc partem Hiſtoriæ nolimus abire
Indictam, ut maneat geſtarum gloria rerum,
Et Patrum pietas, & pro pietate labores,
Debere atroci culpa palleſcere, & iri

Pu-

Digitized by Google

Punitum miſere violatæ ob crimina pacis
Credamus : facili nobis præcordia luto
Non adeo finxit Deus . Hæcne ſilentia quiſquam
Laudet , quæ paucorum amat inſidioſa libido?
Si parcis ; pacem ſine cauſa odivimus æquam ,
Et divinarum nonnulla inſcitia rerum
In cauſa fuit , ut litem inferremus iniquam .
Fac pateat ſcelus ; obruimus nil tale merentes ,
Et Navarettus ſinceri non habet hilum ,
Non habet egregio perfunctus munere Thomas
Thournonus , jure ac merito crudelia paſſus .
Miror eo ſi non ſpectant , ut pectora tandem
Noſtrorum huic etiam faciant obnoxia culpæ ,
Non ſecus atque illam , quam tu reprehendis , inique
In nos affectant dudum transferre , velut ſi
Dogmata quæcumque infuſcant fœdiſſima mores ,
Quæque eſt cenſuris Roma exſecrata ſeveris
Non ipſis fuerint vulgata auctoribus : id Tu ,
Et tua demonſtrant æterna volumina , verum
Illis mille viæ , mille & divortia , poſſint
Queis ſe tutari , ſtolidoque imponere vulgo .
(15) *Imprimis fieri qui poſſit , quique putari*
Quin bene formandæ præcepta ſalubria vitæ
Tradiderit Scriptor , vitam qui pariter omnem
Egit , ad uſque ravim Janſenum odiſſe , gregemque ,
De Culicamo etiam , aut Turca quum quæreret alter ,
Clamabat ; nulloque aliis adfinxit eandem
Eximiis pietate Viris diſcrimine labem ,
Illis præſertim , contra mutire ſodalem

Auſi

Auſi qui fuerint , & verbum dicere : prave ?
Quorſum hæc ? ut videas qua Scriptor debeat unâ
Penſari trutina ; nec enim micat amplius ipſum
Per ſe jam verum ; non qui ſudavit , & alſit ,
Scripſerit is recte , ſed qui donatus abolla
Omnia præſtiterit , paulo quæ diximus ante .
Atqui non pauca occurrunt (16) *peccata legenti*
Sanchez , faſtiditque auris nonnulla magis , quam
Demere quæ placuit Venuſini a carmine Vatis .
Nil refert : dicas prompte : pulchre , bene , recte :
Cur ? fuit is bonus , atque aliter ſentire caveto ,
Nam quondam aſpicies Divorum in Templa receptum .
Atque hoc ſi tanti eſt , [17] *quanti infercire libellos ,*
De Bloſio , aut Stella ; preliſque parando quotannis
Atque alium , atque alium magis oſtentare , magiſque ,
Nactos ſe ſe unos vita ſecreta beatæ ,
Affectiſque animis monſtrare decentius illis ?
Forſitan huc fabella canis , qui fruſtula carnis
Ore gerens umbram majorem adſpexit in undis ,
Quam captare volens eſcæ majoris amore
Exuriit , vera dimiſſa ; forſitan , inquam ,
Huc ſpectare voles : nam quod ſquallore , ſituque
Nunc meliores ſordeſcant , præcordia quorum
Nectareos ſenſus , & verba carentia fuco
Dulcius admittunt , facit hæc farrago , levis quam ,
Atque novis inhians colit admiratio vulgi :
Ut libet : i tamen , & diſiecti membra ferendo
CircumScriptoris , jures hunc turpiter omnem
Notitiam , nulli non alte corde repoſtam ,

Evel-

Digitized by Google

[18] *Evelliſſe Dei, quo blandus mille pdrdvit*
Pigmentum culpis; [19] *alium non pendere magni,*
Ducere quin tutum, & ſine noxa hærere Socino
Si quiſquam velit, haud incertus Relligionum
Ecquæ verius orta Deo ſiet: adde, quod illi
Sint perjuria nugæ, huic exſaturata cruore
Vindicta oſoris, dextræque aptaverit enſem:
Omnia mendoſe: quorſum hæc qui numine pleni
Uberius tractant divina, & matronales
Uſque adeo peras ſacris implere libellis
Turmatim ſatagunt, queis tandem degere vitam
Se dignam addiſcant, pravoque abſiſtere more,
Una ut quæque ſibi dulcem ſine bile mariti
Adciſcat comitem vacuas ſolamen in horas?
Ex hoc jam melius cognoſcet quiſque Terillus
Quam ſit virtutis veræ cuſtos, rigidos quam
Inſtituat canones vivendi Baunius, & quam
Doctrinam effundat Guimenius ipſe ſalubrem,
Atque alius quicumque eadem veſtigia preſſit:
Nec metuendum illis Cultorum deſore quemquam,
Quin vexent iterum, atque iterum venalia prela.
Credo equidem; nam quorſum aliter? pauci bene docti, et
Emunctæ naris qui ſunt verſare recuſant
Inlepidum genus hoc Scriptorum, & jura repoſcunt
A proprio de fonte fluentia; principiiſque
Naturæ, aut legis ſacratæ: [20] *Cetera Turba,*
Inviſum cui non ſatis Alvarus eſſe Novembrem
Fecit, vixque edocta ejuſdem toedia longa,
Mille crepat caſus, ſecum noctesque dieſque

 Quid

Quid Lenæ, aut Titio poſſit contingere vitæ
Humanæ varia pro conditione, minutim
Expendens, prorſuſque oculis ſecernere honeſtum
Turpi ignara ſuis, libet ut fortaſſe Medullæ,
Aut Eſcobario ſortes partirier, illum
Plutoni tradit, Lenam traſmittit ad aſtra.
Huic ſi Merbeſius, ſi occurrit forte Genettus,
Deſpuit, & veluti aſpectu deterrita monſtri
Quorſum, ait, hic priſci Patres? ſine Tamburino
Non intelligimus Tabulas peccare vetantes,
Et Sanchez tollas ſi noſtrum, non erit alter,
Qui faciat melius licitos addiſcere motus.
Hos ediſcit, & hos amat, & quodcumque locuti
Sunt, ceu ſanctum, & non aliter putat excipiendum,
Quam quod prima Virum bis ſex ſapientia fudit.
An non magnopere placeant hæc Bibliopolis,
Quum videant iterum ſinuoſa volumina poſci,
Atque iterum Sanchez, Dianæ, Caſtroque Palai?
Pol. tamen hi placeantne bonis, non pluribus, ipſe
Inquiro; dein, ſi pretium Scriptoribus inde,
Et nonnulla accedit laus, cur deerit, amabo,
Unde ſibi felix Paſchalis plaudere poſſit?
Paſchalis? Quidni? cupidis repetita dedere
Sæpius hunc prela: impurus qui multa? redimus
Ad caput: hæc novi, & ſecerno: Impura redudant,
Sed quæ Paſchalis non ſunt; Impurior ille
Eſt tamen, infamis cujus jam flamma labores
Abſumpſit, furtim quamvis laudetur; eorum
Et plerique, terit quos uſus, & unde, parata

Ceu

Ceu puer a Medicis cum melle abſintia , multa,
Quæ longe Chriſti diſtant a moribus , haurit
Incaute , qua de ſermo eſt , inſcitia Turba .
Fac autem tres , aut quatuor , veriſſima narro,
Quæ tua vituperent præcepta nitentia , chartas
Inveniat , ſtatim redit in præcordia virtus
Propter deſpectos paulum perculſa Magiſtros ,
Et quod fauſtum , ait , & felix ſiet omnibus , en qui ,
En non cunctando qui noſtram reſtituit rem ,
Dejectoſque ſua Doctores ſede reponit .
Sed pejora feret juſto importunior ille ,
Et criticus Daniel, [21] *quum Lucius unus , & alter ,*
Et Philocardius emergent , non arte minus , quam
Ingenio freti : tum ſe metirier , & fors
Non ultra diſcet prave irritare Poetas ,
Et magnos Oratores , præclara quibuſvis
In diſciplinis quorum monimenta tot extant ,
Sed magis , atque magis nota ampullantur in arte ,
Ut centum Aonios numerent , centumque Muretos ,
(22) *Et Paulinos , nec non , ſi vis addere , Canos .*
Talibus , unde ſuos defendant , quis fore credat ,
Ut deſit ? non , ſi quiſquam effutiret eorum ,
Quid? levius quod peccet qui adſuetudine prava
Blaſphemat , (23) *circum aut Veſtalis ludere mammas*
Qui velit . Heic , Daniel , ſermonem abrumpere cogor ,
Nam gemina in digitos tua venit Epiſtola noſtros
Neſcio quid ſimile inſectans , ſtudioque legendi
Magnopere incendor . Tu murus aheneus eſto ,
Atque vale ; tempuſque , precor , quandoque legendo ,

A ſtudiis ſi quod ſupereſt, inſume Pomeo,
Et tibi ſit curæ multas contexere Chrias;
Nempe ita morum proficies in Diſciplina,
(24) *Et melius diſces cognoſcere Buſſembaum.*
Interea referam olim quod Leo dixit Aſello
Venanti ſecum, juſſoque ciere potenti
Palantes clamore feras, tandemque roganti,
Ecquæ opera inſolitæ vocis ſibi viſa fuiſſet?
Inſignis plane; ſic ut niſi teque, genuſque
Noſſem, ego confeſtim fugiſſem territus ipſe.

Digitized by Google

In Primum Sermonem ENARRATIONES.

(1) *Daniel perdoctе*,

VIR de morum diſciplina optimè meritus, nonnullis jam adverſus quorundam Theologorum, Caſuiſtas quos vocant, opinandi licentiam ſcriptis eruditè voluminibus. Horum poſtremum, (ſi duas Epiſtolas excipias Theologico-Morales ad Epiſcopum N. N.) idemque præſtantiſſimum eſt illud, cui Titulus: *Iſtoria del Probabiliſmo, e del Rigoriſmo, &c.* Quo in opere illud imprimis optimo conſilio ſibi ſumſit, ut quam fluxa ſit probabiliſtica philoſophandi ratio; quam multa lateant in Scriptionibus illorum Theologorum fœda illa quidem, atque indigna, cum Theologi gravitate, tum ſanctitate Chriſtiana; quam denique ineptis ſubtilitatibus obvolverint etiam confixas ab Eccleſia propoſitiones, patefaceret. Verum, ut nihil eſt tam ſanctum, pioque conſilio ſuſceptum, quod pravorum hominum maledictis, & reprehenſionibus non ſit obnoxium, inventus eſt quidam Anonimus, ſic enim appellabo, qui, quod ita mediocrium caſuiſtarum inſcitiæ conſultum eſſet, ægrè ferens Theologos illos dignos habuit, quos defenderet eo libello, cui Titulus: *Giuſtificazione di più Perſonaggi, &c.* ea ratione conſcripto, ut, qnoniam Theologos illos ab ea fœditate, & perverſitate opinionum liberare omnino non poterat, extaret ſaltem aliquid, quò con-

continerentur in manibus imperitorum, nec tacuiſſe viderentur probabiliſtæ. Mirum vero, quam nunquam toto libello non aberret a propoſito, remque agat minutis quibuſdam concluſiunculis longe aliam, quam quæ poſita eſt in queſtione. Nam Jeſuitas videri quum velit defendere, & vindicare, [quod eſt animi ad fallendum comparati inſigne argumentum; neque enim Jeſuitas laceſſivit, aut offendit ullo modo Pater Concina in ſua probabiliſmi hiſtoria] eorum laudes unde unde compilat homo planè Jeſuita, res bene geſtas ſatis liberaliter amplificat; ſeveriores opponit, libellos numerat, quos ſcripſerunt, ſpirituales; Sanctos, neſcio quos, puncto temporis creat; denique, quod eſt ſanè lepidum, modo in Gallias in Germaniam modo Lectores mittit, [ego Gallos, & Germanos in Italiam, cum iis Italos in Sinas] ut quod ibi de Jeſuitis agatur, certiores fiant. Iſtuc eſt ſapere? Iſtuc eſt reſpondère Theologo, qui adverſus probabilitatis commentum, & pravas Tamburini Sanchez, Buſſembau, & Vivæ opiniones duntaxat decertavit, argumentis etiam optimorum Jeſuitarum? Cui propterea, ut id obiter dicam, gratulari magis, quam inſultare debuiſſet Anonimus; quandoquidem, quod eſt benignum, ut ait Plinius, & plenum ingenui pudoris, nunquam faſſus non eſt, per quos profecerit. Hæc ferè libelli ſumma, hæc Anonimi adverſus hiſtoriam Patris Concinæ argumenta: quæ, quam ſint abſurda, & ridicula ipſa per ſe, ut cuique melius oſtenderem, nihil cenſui præſtandum aliud, quam eadem ipſa latina facere, & ſermonibus explicare: neque enim alio ſcriptionis genere excipienda eſt, atque omnium oculis ſubiicien-

cienda tam lepidi Scriptoris infantia ; non aliis argumentis refellenda , quam ſuis . Ad Jeſuitas quod attinet , laudet , (quamquam non erat hic locus) quam poteſt , maximè Anonimus , non invideo Jeſuitæ iſtuc qualecunque ſolatium ; ſintque iidem probabiliſtæ , anne ſint , non me valde ſollicitum habet , ex eo præſertim , quod ex ipſis , licet tres , quatuorve negent , ſexcenti adfirmant . Vapulent tamen univerſi , quando ita ad fallendum placuit Anonimo , ſub Sanchez , Baunio , Tamburino , & Buſſembau ; atque intelligat , nullius demum eſſe tam gravem auctoritatem , ut etiam ſine ratione vincat , eoſque , quod unum fortaſſe ſpectavit Anonimus , ſatis tegere valeat , qui longe a veritate , longius a doctrinæ puritate receſſerunt .

(2) *Non incidit ullus , &c.* Negat præfidenter Anonimus ſcriptionibus recentium Theologorum , eorumque opinandi licentia effectum eſſe , ut longius a Chriſti Inſtitutis recederet Chriſtianæ vitæ conſuetudo , iique mores invaleſcerent , quos non patitur ſanctior Evangelii diſciplina ; cujus rei , ut fidem faciat , ita omnia ſus deque agit , ut etiam eo trahere non dubitet quicquid ex ſapientia , Sanctionibuſque Patrum Tridentinorum profectum eſt emendationis in diſciplinam Eccleſiaſticam , & mores Chriſtianorum . Ait enim poſt commemorata quæ illius Concilii extiterunt in populum Chriſtianum beneficia *pag.36. Dal dimoſtrato finora rimane convinto , che i Teologi Moderni non hanno rilaſſata la Morale prattica ; poichè , come potrebbe combinarſi queſto diſordine col miglioramento immenſo , ſucceduto ne' Cattolici al tempo di quei Teologi , e miglioramento tale , che dopo la Creazione del Mondo , niuna aſſemblea d'* *uo-*

uomini portò mai tanta perfezione tra gli uomini, *al dire del Cardinale Pallavicino*, *a cui non ſi potrà così facilmente contradire*. Utique tamen Pallavicino non repugno, fateor ſtupidum eſſe oportère, qui neget, illius celeberrimi Conventus ſtudio, & diligentia effectum eſſe, ut Reipublicæ Chriſtianæ decor, & ſanctitas quamplurima reſtitueretur. Illud efflagito ecquid opis ad eam reſtituendam, aut conſervandam attulerint Sanchez, Diana, Baunius, Tamburinus, Buſſembau, eorumque ſimiles, ut eos, Anonime, tam novo, atque inaudito defenſionis genere cum Patribus Tridentinis implicares. Hi quidem, ut mores Chriſtianorum emendarentur, plurimum laborarunt; ex voluminibus illorum Theologorum, nihil non effluxit ad eos corrumpendos efficax, atque idoneum: cui malo, quantum fieri poterat, averruncando quamvis deſudarint Romani Pontifices, Eccleſiæ Præſules, & Theologi præſtantiſſimi quum tot propoſitiones damnarunt, credito ſibi gregi cavendas indicarunt, ſcriptis denique oppugnarunt; tamen, quod etiam in Civitate, quam peſtilentia forte corripuit, accidere ſolet, ut longè plures afficiantur, & ſæviat lues invitâ curâ, & diligentiâ Magiſtratuum, qua omnia conſtituta ſint, & bene proviſa, fieri non potuit, quin Chriſtianæ vitæ conſuetudinem plurimum inficerent opinionum pravitate *docti Juniores*, quibus illud fetmè unum erat propoſitum, ut non monendo, & caſtigando, ſed ut licentius opinando tollerent peccata Mundi. Idque ut Anonimus apertè intelligeret, planè efficerem, ſi ut hominum, qui longè ante deceſſerunt, ita eorum, quibuſcum vivimus, aut proximè contigimus tam facilè eſſet vi-

tia

tia nudare. Illud ſaniores facilè dabunt, eam morum depravationem, quam probabiliſmo acceptam ferimus, minus eſſe correctioni opportunam, atque adeo longe deteriorem, quam quæ fertur ante Concilii Tridentini tempora invaluiſſe. Facilius enim a culpa retrahimur, quum repugnante, vel ad conſilium ratione non adhibita, peccamus cupiditatibus illecti, quam quum affectibus indulgemus deniliti, atque corrupti blanditiis Magiſtrorum, atque opinionum benignitate; ſic enim cum ratione inſanimus, tantoque liberius officia ad Religionem pertinentia deſerimus, quanto deſerendo nobis non peccare videmur. Itaque ubi deſipere Anonimo P. Concina videtur, mihi digniſſimum de iis rebus, de quibus loquitur, ſermonem fundere, qui nè Anonimi reprehenſionibus ſit obnoxius, facit imprimis auctoritas clarorum Virorum Bellarmini, *Veteres* enim omitto, Simonis a S. Paulo, Cardinalis Fiderici Borromei, atque etiam Romanorum Pontificum, præſertim Alexandri VII., quos non incorruptè, atque integrè judicaſſe, nemo dixerit: Nihil vero contra, ac Viris illis doctiſſimis, & piiſſimis viſum eſt, pronunciavit hac in re P. Concina, ut hiſtoriæ volumen alterum legenti patebit. Cœterum poteram hæc omnia miſſa facere, atque unam proferre Terilli orationem, qua vehementiorem, minuſque Probabiliſtis honorificam non legi. Hunc Anonimus ante caſtigare, & reum Majeſtatis agere debuerat, quam in Patrem Concinam honeſtum imprimis, & veracem Probabiliſtarum adcuſatorem peſtiferam linguam exerceret. Quid enim, quæſo, peccavit P. Concina? Quid non peccavit Terillus? ille quidem, paucis dicam, erraſſe tantum Probabiliſtas: Teril-

lus id animi prava adfectione, inanis gloriæ cupiditate, Satanæ inſidiis factum eſſe. An non hæc multo maxime injurioſa, quam quæ P. Concina? Sed, *Dat veniam Corvis, vexat cenſura Columbas*.

(3) *Nec quicquam ſanctiùs illa, &c.* Laudes, atque encomia, quibus *docti Juniores* probabilitatis commentum exornarunt; ſe ſeque ad Cœlum uſque non ceſſant efferre, ea ſunt, & tam multa, ut, ſi omnia in unum volumen conlecta legeremus, non dubitem viſum iri incredibile, eo deſipere potuiſſe homines ratione utentes, ſibique tantopere plaudere de tam fluxa morum regula, tamque perverſa philoſophandi ratione. Verum nihil ineptiùs, atque arrogantiùs excogitari poteſt, quam quum vociferant etiamnum plenis buccis: nullam eſſe, ſi ſuperis placet, in omni ferè diſciplinarum genere difficiliorem controverſiam; calamum in probabiliſtas ſumere volentem oportere, ut ſeriò perpendat, ad ſcriptionem multò maximè operoſam ſe ſe conferre; unam, ſimplicemque Probabiliſmi notionem, vix permagno, integroque volumine comprehendi poſſe; denique ſolos probabiliſtas homines fuiſſe doctiſſimos, atque acutiſſimos, qui omnia ſupera, infera, prima, ultima, media viderint, atque perſpexerint. Quam etiam de ſe opinionem ut maximè confirment, optimum quemque Probabiliſtarum Sectæ repugnantem palam deſpiciunt & modis omnibus dehoneſtant. Quo enim pertinent petu'antia illa, & propudii pleniſſima convicia, quibus non ita pridem, quum de jejunio controverſia ferveret, Patrem Concinam, aliosque Viros doctiſſimos adfecerunt Probabiliſtæ? quo item illa, quibus P. Corſinium Alpha Pædagogorum: „ cui ſcio mirum videri ſibi non adhuc

„ [id

„ (id quod ille, ut magnis inimicitiis clareſceret,
„ unum ſpectabat) eſſe reſponſum : ſed mirari
„ deſinat, atque intelligat, id ex eo factum eſſe,
„ quod Probabiliſtæ, nondum in eo ſatis eſſe vi-
„ rium ſtatuunt, ut cum ipſis poſſit homo infan-
„ tiſſimus decertare. Eum tamen ego etiam, at-
„ que etiam moneo: deſinat maledicere, atque in
„ poſterum tempus quieſcat: ni fecerit: *Flebit, &*
„ *inſignis tota cantabitur urbe*. Hui. Credo equidem Probabiliſtarum eam eſſe potentiam, ut multos flere faciant, non herclè tamen hoc in Mundo. Ceterum hiſce jactationibus, quibus, quum non poſſint veritate, Probabiliſtæ ſe ſe efferunt inſolentiùs, capi fortaſſe poteſt imperitum vulgus, non autem planè litterati homines, qui niſi uni veritati, atque alieno periculo conſultum vellent, contemnerent prorſus Scriptorum genus, quo non eſt aliud magis inelegans, atque inſulſum, & qui cum decertare, aut inimicitias inire minus optimo cuique glorioſum ſit „ Ex quo enim (ut præclarè
„ alio loco P. Concina) præſtantiſſimi Viri pro-
„ priæ gloriæ, ſtudiorumque ſuorum ſublimitati,
„ & excellentiæ haud benè conſultum iri in ani-
„ mum ſibi induxerunt, ſi in exornandam morum
„ Theologiam, quicquam operis conferrent; jam
„ inde tum evenit, ut hanc obeundam Provin-
„ ciam, eorum plurimi aggreſſi ſint, qui neque
„ eruditione, neque ingenio, neque prudentia ſa-
„ tis valerent; & iſtius generis major numerus
„ cum ſit, majorem quoque penes populum opina-
„ tionibus ſuis nacti ſunt auctoritatem. Quid ita-
„ que mirum, ſi in dies deſpicatior, ſi ſqualli-
„ dior, & in contemptum adducta jaceat morum
„ ſcientia. Quid mirum ſi tricis, ſi diſtinctiuncu-

Digitized by Google

„ lis inanibus, ſi commentis, ſi gerris, ſi inven-
„ tis heu nimium ab omni honeſtate alienis ſcate-
„ at, redundetque „. P. Corſinium id unum ſpe-
ctaſſe, ut horum Scriptorum inimicitiis clareſceret, Corſinio ipſi etiam juranti non crederem. Ceterum nihil eſt deliberatius Probabiliſtis, quam conari totis viribus, ut a Sapientibus rideantur; nam quod P. Concina *Litterato* adverſario, & Philocardio Corſinius uni percipiendæ Probabiliſmi notioni videantur non idonei, tam ridiculum eſt, quam quod maxime. Age vero Philocardi, age *Litterate* Vir, ex iis demum, qui ſcripſerunt de Probabiliſmo, tam multis, unum aliquem oſtendite, a quo ſatis explorata ſit, & bene concluſa probabiliſtica ratio. Segnerum, inquiunt, damus, & Terillum, alioſque non paucos Probabiliſtas. Illos legi. Quid tum? jurgantur de re non intellecta, ſecum ipſi pugnant, petitione, ut ajunt, principii laborant quarto quoque verbo; &, quamquam cum Concina, & Corſinio me non confer[illegible] quam tamen mea mihi mens tam vilis erit, ut ad probabiliſticam rationem recte intelligendam egere me putem Terillorum, Bauni[illegible], D[illegible]caſtil[illegible]m, qui otio, & litteris abutentes ingentia volumina conſcripſerunt [illegible] tricis, & nugis obvolverent iſtuc dormitantis Theologi commentum. De tota controverſia, velitis nolitis, ut vere judicem, nulla re alia eſt opus, quam ut co[illegible] quid demum rei ſit, quod Probabile dicimus. Id autem ut vere aſſequar ſunt Angelici, ſunt Scoti, qui diſertius hac de re diſſeruerunt, quam ſexcenti Probabiliſtæ; ſunt hac noſtra ætate Philoſophi doctiſſimi, qui de arte diſſerendi, de rebus ad Metaphiſicam pertinentibus, de jure nat[illegible]e, &

Gen-

Gentium quum acute ſcripſerint, atque erudite, abſunt tamen omnes a Probabiliſtarum inſania quam longiſſime.

(4) *Quando acrius illam, &c.* Id cum alii multi, tum præſertim P. Concina in ſua Hiſtoria accuratiſſime præſtitit, quod maxime pupugit Anonimum, qui *pag.* 58. *Con tutto l' opinare loro* (de' Moderni) *la ſtrada del Paradiſo rimane tuttavia non ſolo ſtretta, ma aſpra, diſaſtroſa, e grandemente ſpinoſa a' Cattolici. Dicono d' eſperimentarla tale i moderni Eretici, i quali quantunque accordino, che la via battuta dalla Chieſa Romana conduca ſicuramente alla Beatitudine eterna, pure rifiutano di ritornare nel grembo di eſſa Chieſa, perchè non vogliono premere detta ſtrada coll' obbligarſi a' digiuni, alla confeſſione, e ad altri Precetti, che loro ſembrano graviſſimi. Non ſolo anguſta, ma impoſſibile a pratticarſi la pubblicano i Turchi*: Lex impoſſibilium. *Quando poi moltitudine grande d' infedeli ode predicarſi da' Miniſtri dell' Evangelio, che, chi ſi rende Criſtiano deve contentarſi d' una ſola moglie, che nella Legge di Criſto vi ſono tanti peccati contro la caſtità*: (jam vero nimia etiam Benſio videri cœperant) *che devono manifeſtarſi a' Sacerdoti le più ſegrete, ed orrende malvagità*; *Eſſi ne concepiſcono tale orrore, che perſeguitano a morte chi ſparge tali inſegnamenti, &c.* Ex quo pervaſit omnem Dei legem probabiliſtica lues nihil videtur eſſe reliquum, unde intelligant Probabiliſtæ, quî ſit arcta via Cœli, & ſanctior Chriſti Religio niſi eam conferant cum Alcorano, aliiſque Sectis impuriſſimis, adducantque Virginem honeſtiſſimam in cœtum Meretricum. Quid (malum!) in mentem venit huic præſtigiatori, ut, quoniam

Tur-

Turcis, & infidelibus minime commoda videtur Cœli via, eam a Probabiliſtis dilatatam fuiſſe inficiaretur, ex eoque dumtaxat penſandam eſſe diceret eorum benignitatem, atque indulgentiam, quod intactum in Evangelio, & morum diſciplina reliquerunt, quoque adhuc diſtant ab Hæreticis, Turcis, & Infidelibus? O digniſſimam probabiliſtica conſcientia argumentationem! Id vero ſi obtinent Probabiliſtæ quis erit licentiæ modus in tam lato luxuriandi campo? quæ licentiam coercendi ratio? Regnabunt ii plane, omnia liberius, atque impune ſus, deque agentes: nobis verò, ut pro Religione, & morum ſanctitate dicamus, expectandum erit, dum liceat Tamburini ſubtilitatibus ex Infidelium more vivere; dum Benſius omnem in ſuos libellos derivet ex Alcorano obſcenitatem; Dum tollant Probabiliſtæ Jejunia Eccleſiæ, & Confeſſionem auricularem; Dum ita denique temperent Divinam Legem, ut ſatis commoda, & minime ſevera videri poſſit Turcis, & Infidelibus. At, quum Chriſtiani homines, Virique doctiſſimi ſanctiorem Evangelii diſciplinam a Probabiliſtis corruptam fuiſſe querantur, quid eſt, Anonime, quod judicium contemnas vehemens, & grave, idque ex eo factum neges, quod intollerabilis adhuc Turcis, atque Infidelibus videatur? Næ ii male educti, & maxime ex prava peccandi adſuetudine, qua naturam corrumpunt, & violant, quum non poſſint de virtute, & ratione recte vivendi vere judicare, non pauca, ad quæ colenda nati ſumus, atque a natura inſtituti, dura eſſe, atque aſpera pronunciabunt. Quid tu? dices propterea, legis, naturalem quam adpellamus, officia colere non eſſe longe facillimum, atque homini bene inſtituto jucun-

jucundiſſimum ? Dices profecto, quando legum, cum naturalis tum Chriſtianæ officia confundens, multa ad poſteriorem pertinere pronuncias (*pag.59.*) quæ ad priorem tantum referenda ſunt, puta, temperate vivere, iræ, aut gulæ moderari, & alia hujuſmodi: quorum etiam officiorum ita ad fallendum imperitos, & Probabiliſtarum laxitatem occultandam, exaggeras ſeveritatem, ut ethnico etiam non perditiſſimo ſtomacum faceres. Verum quid ego tam multis? Non illud objiciam, quod Probabiliſtis nonnulli exprobrarunt: ſuperaſſe quandoque decretis ſuis etiam Turcarum, atque Infidelium improbitatem; ſed oportere, ut diſcas a Chriſto, nemini licere, ne unum quidem ſolvere minimum Chriſtianæ legis præceptum. Aut Chriſto auſcultandum eſt; aut in malam rem cum tuis Turcis, atque Infidelibus abeundum.

(5) *Guſmanæ id certè genti, &c.* Interrogat Anonimus quarto quoque verbo, ecquis prior Probabiliſmum invexit? quo demum prodiit Auctore? quaſi vero id P. Concina, aut quiſquam Dominicanorum diſſimulaverit, faſſuſque non ſit ingenuè, auctore Medina primum prodiiſſe; Lapſus eſt ille planè; veruntamen ſtulte conatur dedecus in Dominicanos transferre, qui errantem ſequitur, qui errore peſſimè abutitur, qui denique pervicaciter tuetur. Itaque ſi ſcire cupit Anonimus, cur non tantum negotii, quantum ipſe vellet, faceſſere poſſit Dominicanis error Medinæ, ut etiam liberè damnent, &, quod ipſe maximè dolet, ut ab Eccleſia damnetur, optare ſe ſe fateantur, verbis dicam Vincentii Lirinenſis: „ o rerum mira conver-„ ſio, abſolvuntur Magiſtri, condemnantur diſci-„ puli, quod quidem mihi divinitus promulgatum

„ vi-

„ videtur eſſe judicium , propter eorum maximè
„ fraudolentiam , qui cum ſub alieno nomine [la-
„ xitatem] concinnare machinentur captant ple-
„ rumque veteris cujuſdam Viri ſcripta paulo in-
„ volutius edita , quæ pro ipſa ſui obſcuritate dog-
„ mati ſuo congruant , ut illud quod proferunt ,
„ nec primi , nec ſoli ſentire videantur ; quorum
„ ego nequitiam odio dignam cenſeo .

(6) *Magnis Auctoribus illam* , &c. Ego ſanè quod ajunt , ſe ſe Medinam , Bannez , alioſque Thomiſtas , quorum tamen numerum tam falſo , quam invidioſe augent , ſecutos fuiſſe , trahique paſſos in eam ſententiam , tantorum Virorum auctoritate , crederem fortaſſe , ſi ii non eſſent , qui Medinam , qui Bannez , alioſque Thomiſtas , atque etiam S. Thomam tum maximè , atque arrogantius repudiarunt , cum meliora dictarent , ſibique id negotii datum eſſe exiſtimarunt , ut quod carperent , & palam reprehenderent , in ſcriptionibus Thomiſtarum ſtudiosè inveſtigarent .

(7) *Jam pervulgatam* , &c. Omnium rerum , inquit Tullius , principia parva ſunt , ſed ſuis progreſſionibus uſu augentur ; neque ut aliter ſentiat de novitate Medinæ , movere quemquam poſſunt quæ habet Anonimus *pag.* 1. Appendicis . *Il Tomo in foglio del P. Bartolomeo Medina , in cui propone , e difende il Probabiliſmo , fu poi ſtampato in Bergamo dal Ventura nel* 1586. *con un bell' Elogio del Reverendiſs. ſuo Generale Cavalli , che ſi comanda dare alla luce quell' auree eſpoſizioni ſopra S. Tommaſo . Un tale autorevole comando quanto avrà conciliato di credito , e di ſeguito anche in Italia alle opinioni del P. Medina , e fra queſte al parere probabiliſtico .* Sane parum , imo vero nihil , mi Anonime ;

me; Illud enim ſæpe accidit, ut, quamvis opus integrum alicujus Scriptoris probemus, non propterea neceſſe ſit, ut ſingulas ejus opiniones approbaſſe dicamur. Laudaviſſe fertur opus Leſſii de Juſtitia, & jure S. Franciſcus Saleſius, ſed eum non pauca etiam, quæ eo volumine continentur, Chriſtianæ pietati minime conſentanea approbaviſſe, nemo dixerit. Præterea commendationem illam Operi Medinæ præfixam, quum nihil contineret, quod ſigillatim ad Probabiliſmi doctrinam ſpectaret, non eſt cur tantopere jactes eidem dilatandæ plurimum profuiſſe, eo præſertim tempore, quo nondum circumferebantur illa luxuriantium ingeniorum volumina, quibus innumeræ acervatæ ſunt unde unde probabiles opiniones ad Mediniani Theorematis uſum amplificandum; quoque nondum fruticaverant illi docti Juniores, qui, fatente ipſo Tirillo, *ad nova promovenda animoſiores effecti in opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo placituras.... qui laudi ſibi verterent laxiores ſententias in unum colligere, eaſque, tamquam conſcientiæ regulas ſub ſpecioſo probabilitatis tegmine venditare*. Obſoleviſſet itaque, velis nolis, ſine Sanchez, ſine Tamburino, ſine Diana Medinæ novitas, cujus fieri non poteſt, ut ſit ampliſſimus uſus, niſi adferas probabilium opinionum ingentem farraginem. Hanc vero, ut id obiter dicam, ſi ex Medina minime hauſerunt *docti juniores*, ſi, quod *plus aequo famæ, vanæque exiſtimationis eſſent cupudi*, invexerunt, cur per ſummam injuriam in unum hominem, quod fuerit una in re minus diligens, alienæ libidinis, & fœdiſſimarum prolapſionum crimen transfertur?

(8) *Quod proprius vero eſt*, &c. Horum carminum ſententiam luculenter expreſſit Anonimus *pag.* 49. *Veramente la Politica poteva conſigliare a' Geſuiti l'opinare per il Probabilioriſmo, e facilmente avrebbero potuto farlo, certamente non ſi ſarebbero ſcaricate ſopra di loro tante calunnie diſtillate da queſta materia; ma la Politica deve cedere all' autorità, e dove Teologi ugualmente dotti, e pii s' indrizzano, ſarà ſempre ſaggia prudenza il tenerſi loro dietro, sì in queſta, come in altre controverſie*, &c. Paulò vero infra *pag.* 100. de Guimenio ſermonem habens. *In quel libro non preteſe il Moya, ſe non di farla da Iſtorico, ſe veridico, o nò, laſcio il deciderlo a chi ha potuto leggerlo*. Ita ne vero? Moya hiſtoricum agit? vere ne an falsò, id alieno judicio relinquis? At ſi Moya eo libello nihil molitur aliud, quam ut infamem laxitatem, & dogmata quam deterrima nobilioribus Thomiſtis, ipſique Divo Thomæ adfingat, quî tandem iidem digni fuerunt, quos Jeſuitæ in morum doctrina ſequerentur; quî tam pij, doctique, ut in ſuas opiniones Jeſuitas pertraherent? ea ne Dominicanorum conditio eſt, ut cum tua intereſt, docti, piique ſint; ſin vero, ſint iidem boni, an ne ſint, alieno judicio relinquas? Fruſtra ſperemus fore, ut tandem aliquando aut mentiri deſinant, aut fallere nolint, vereque Vincentius Baronius in Epiſtola ad Armandum Borbonium „ Quam variæ ſunt rerum vices! quam
„ mira & ſtupenda noſtrarum incuſationum commutatio! Quis crederet Dominicanos tot malis
„ vexandos, tot criminationibus gravandos, ut
„ qui ſemel ad relaxatæ Ethicæ Chriſtianæ invidiam a ſe depellendam, nos ſibi loco clipei eſſe
„ volebant, dogmaticæ hæreſis ſuſpectæ damnatio-

„ nem

,, nem in nos pronuncient; ut quaſi licentioris vtiæ, ,, & doctrinæ hereticæ Magiſtri audiamus? Et hoc ,, admirationem auget, quod adeo diverſæ, & diſ- ,, ſidentes incuſationes videantur ab eadem offici- ,, na prodire, & qui nos Magiſtros volunt, & ,, gloriantur de moribus, de dogmatibus hæretico- ,, rum diſcipulos eſſe, aut ſocios penè vociferen- ,, tur ,,. Præterea vero quod demum tam grande emolumentum reportare potuiſſent Jeſuitæ, quod tam grave negotium faceſſere Dominicanis eorum politica, ſi poſthabito, atque etiam damnato Medinæ commento, ſententiam, quæ probabiliora ſectatur, amplexati fuiſſent? Num ita Medinæ dediti erant Dominicani, ut illum *Jeſuitarum politica* admoniti repudiare non poſſent, atque indefenſum relinquere? Num Medinæ novitate corrupti protulerant ſtatim Baunios, Sanchez, Guimenios, Buſſembaos, quorum, ſi reprehenſi à Jeſuitis fuiſſent, pudere deberet Dominicanos; in eaque repellenda infamia dies noctesque occupari? An vero in eam curam incumbebant, ut illecebris, & commoditatibus Probabiliſmi ſublandirentur cupiditatibus hominum, & caperent vulgus cereum ad obſequium uti quum datur Magiſtris benignioribus? hæc in Dominicanis ſi non poterant criminari Jeſuitæ, qui erant præterea ad diſſentiendum cum Thomiſtis paratiſſimi, intelligas oportet, Anonime, quam opportune de eorum politica mentionem injeceris. Sed tu, quo pertineant, quæ dicis, nihil animadvertis; nam pari etiam temeritate auſus es illudere Romanis Pontificibus, atque adfirmare Moyam hiſtoricum agere eo libello, quo impuriſſima dogmata contineri, tradi, confirmari, Thomiſtis adfingi apertiſſimè conſtat, quemque propterea ſe-

mel, & iterum Sacræ Congregationes, & tertiò demum Innoc. XI. ſingulari diplomate damnarunt. Qua de re, quoniam eorum, qui Moyam legerunt, judicium adpellas, audias Vincentium Baronium [par. altera manuductionis in præf.] a quo lectum per quam accurate dubitare non potes . „ Plura „ ſuo opere peccavit Amadeus longe immaniora, „ quam dici valeat, aut cogitari . Primum quod „ ea ſcripſerit, quorum horrore cautum ſit, ne in „ illa inquiratur : deinde quod nullo jure, nulla „ veritate aut zelo niſi amaro, glorietur ſua aſſer- „ poſſe laceſſiri ; ut in illum cadat ſcripturæ ver- „ bum: *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in* „ *rebus peſſimis* . Super his duobus ſceleribus tace- „ rem, niſi illa tertio cumulaſſet, aſcito D. Thomæ, „ & ejus ſcholæ ſuarum aſſertionum infinitis de- „ pravationibus ſuffragio .

(9) *Si viget, & plauſu excipitur, &c.* Hoc alterum eſt argumentum, quo Jeſuitis auctoritatem Thomiſtarum, non quidem ad ſuſcipiendam Probabiliſmi doctrinam, ſed ad ſuſceptæ invidiam repellendam, propoſitam fuiſſe luculentiſſimè conficitur : etenim quum Doctorum hominum ſcriptionibus, prudentum ſibilò, & Vaticani cenſuris excipiuntur in arcem tutiſſimam, ut ipſi putant, defenſionis ſuæ ſe ſe recipiunt, & vociferant ineptiſſimè, deceptos ſe auctoritate Medinæ probabiliſticam iniiſſe philoſophandi rationem . Statim verò, ac optata tranquillitate fruuntur, ſeponuntur Thomiſtæ ; quieſcunt tandem Medinæ pij Manes ; ipſi autem emergunt inſolentiùs, & perſtrepunt cum Terillis, Segneris, & Bauniis, quorum doctrina, ſapientiaque regi debere buccinant univerſum Orbem ; & , quod eſt intollerabilis pervicaciæ indicium luculen-

tiſſi-

tiſſimum, Guimenios etiam, & Benſios circumferunt, exponunt, laudant, defenſitant.

(10) *Baunius ad cœnam*, &c. Hic Caſuiſta *tract.* 10. *pag.* 457. *Si poſt habitam eo die copulam carnalem cum fœmina, aut pollutionem voluntariam, Sacerdos ſit confeſſus, eine liberum erit, ſine culpa veniali rei divinæ incumbere? Negat Villalobos* &c. *diſſentit Sanctus, cujus mihi opinio, & tuta, & ſequenda, videtur in praxi*. Secus qui fecerit, anathema ſit.

(11) *Compilaſſe crepent Paſchalis*, &c. Auctor Epiſtolarum, Provinciales quas vocant. Neſcio quid ſibi velint Jeſuitæ, quum optimum quemque Probabiliſtarum Sectæ repugnantem putant, ſe ſatis digna animadverſione caſtigaſſe, quum dixerint: Paſchalem lectitat, Paſchalem trivit. Quod Epiſtolis hiſce clam cum iis, quibus moderantur, cumque aſſeclis ſuis nunquam non maledicant, qui moleſtè ferat, puto eſſe neminem; difficile eſt enim tacere cum doleas. At vero quod earumdem lectionem etiam cuique doctiſſimo liberiùs affectent crimini dare, aut probro vertere, eorum pace dixerim, non longè abſunt a ſtultitia; quaſi vero nulli ſit in literas, & ſtudia, niſi ut eorum libido poſtulat, incumbendum; aut, detractis iis, quæ Catholicis dogmatibus repugnant, nihil ſit reliquum in hiſce epiſtolis cum verè, tum magnificè, & ſplendidè dictum, & viris eruditis valde probabile. Sed contemnendi ſunt, neque aliter cum iis agendum, quam cum *Litterato adverſario* Pater Concina (in ſecundo hiſtoriæ volumine *pag.* 601.) *Voi chiamate queſte Lettere un* Libro ſporco, *ed infame, ripieno di falſità: io mi uniſco a voi nel riprovare queſto Libro condannato dalla Chieſa, non per-*

perchè in eſſo abbia ravviſate coſe ſporche; *ma pegli errori contro la Grazia, per lo fermento Gianſeniſtico, che dentro vi ſerpeggia, e per molte altre coſe. Voi però dovete meco confeſſare, che coteſte Epiſtole ſieno ſtate l' occaſione di qualche ſorta di utile. Non v' ha chi non ſappia, che eſſe eccitarono molti a leggere in fonte i paſſi di certi Caſiſti, ne' quali ſi ſono ritrovate nette ed intere, le propoſizioni da i medeſimi traſcritte. Non potete negare, che da coteſte Lettere ebbe origine la riſoluzione di que' Veſcovi, che preſentarono al Sommo Pontefice Aleſſandro VII. le tante ſcandaloſe propoſizioni, eſtratte da' Caſiſti in dette Lettere, acciocchè foſſero dannate. Ma ditemi di grazia, Sig. Letterato, avete voi per avventura ſentito mai parlare delle* Opere *di un* Moya, *che in alcune di eſſe Opere ſi chiama ancora* Amadeo Guimenio? *A parlarvi con la ſolita mia ſincerità, a me pare, che voi n' abbiate una piena comprenſione de' libri di un sì famoſo Scrittore. Conciosſiache tutto ciò, che voi opponete a S. Tommaſo, e agl' Autori Domenicani, l' avete eſtratto da coteſti libri con ammirabile accuratezza. Eppure ella è coſa certiſſima, che tali Opere ſono proibite in* prima claſſe: *che furono dannate come ripiene di veleno, di bugie, di mal talento: che furono brucciate dal Boja per ordine del S. Uffizio: diſgrazia, alla quale, ſebbene giuſtamente riprovate, non ſoggiacquero mai l' Epiſtole Provinciali. E voi oſate di rimproverare a me ſenza verun motivo, l' aver io copiate le lettere del Paſcale? Leggete, ſtimatiſſimo* Letterato, *i miei Libri, e vi sò dire, che rileverete, come non pochi Caſiſti hanno ſcritte dottrine larghe in tanta copia, che non v'è biſogno di Paſchale per ritrovarle, e per traſcriverle.*

[11] *De-*

(12) *Debuero moriens venia, &c.* Alluditur ad illa Anonimi *pag.*131. *Non ſarà il primo, che abbia mandato nell' ultima ſua malatia a chieder perdono a i Geſuiti delle dicerie ſparſe in ſanità contro di loro, &c.* cujus rei puto habere eos commentitiorum exemplorum mirificam copiam; quando veriti non ſunt ipſi Concinæ repudiatæ Bensì obſcenitatis pœnitentiam adfingere. Illud tamen eſt animadverſione dignum, quod iſta objiciat Anonimus loquens de hiſtoria, neſcio qua, Orientalium, quas vocant, Miſſionum, cujus edendæ mentionem fecerat Pater Concina jure indignatus ſibi obſequii, atque reverentiæ erga Conſtitutiones Apoſtolicas, quæ ſunt de Ritibus Sinenſibus, & Malabaricis, injectam fuiſſe a *Litterato* Adverſario admonitionem. Vide ſequentem adnotationem.

(13) *Quid? ſi quæ peccet, &c.* Hæc ſunt, Anonime ſcelera, quorum optimum quemque, & Religioſum virum pudere debet: & malo planè iis non me obligare, quam committere, ut a Jeſuitis ſim aliquando veniam rogaturus. Paucis, quod volo, ut dicam; Jeſuitam ego peccantem, quod Deus avertat, ſi viderem, pallio meo tegerem: At Janſemiſmi notam Patri Serrio, Eminentiſs. Noriſio, atque optimo cuique, ut libet, inurentem; viris doctiſſimis, Urſio, & Corſinio temerè inſultantem; Dominicanis ob aſſertam Divinæ Gratiæ efficaciam, ob reprehenſos Tamburinos, & Buſſembaos, ob Ritus Sinenſes maledicentem non feram, non patiar, non ſinam; juroque me nunquam propterea a Jeſuitis veniam rogaturum. At quouſque tandem abutemini patientia noſtra? quem tandem ad finem ſe ſe jactabit tam inſulſa criminandi libido? Vos qui Janſeniſtis longè pluribus

Or-

Orbem impleſtis, quam Janſenius ipſe *ſuo Auguſti-no*; qui in errore turpiſſimo Philoſophiſmi deprehenſi, eundem in Dominicanos aperto mendacio transferre voluiſtis; eum, qui cogitat de ſcribenda Hiſtoria celebris Controverſiæ, quæ illuſtri in conſpectu ipſius Eccleſiæ, atque etiam totius Orbis ſita eſt, deque ſenſu exponendo tot Apoſtolicarum Conſtitutionum, eum vos famam veſtram vulgi rumoribus violare, de venia a vobis petenda cogitare debere, eum vos calumniari dicetis? Ne vivam ſi quis eſt animo tam infirmo, atque ineptè religioſo, qui næniis veſtris deterreri poſſit ab ea ſcriptione, quæ cum aliis Religioſis familiis tum præſertim ipſi Eccleſiæ, decori futura eſt, atque ornamento maximo. In lucem adducatur oportet, quodcumque eſt efficax atque idoneum ad confirmandam Religionem, & repellendas adcuſationes Hæreticorum, qui demùm intelligent, unam eſſe Romanam Eccleſiam, quæ fidem ab omni errore, atque etiam erroris ſuſpicione ſarctam tectam, ut cuſtodiat, nemini parcit, ne ſuis quidem. Qui commiſit, ut is eſſet, cui non parceretur, ſibi imputet, aut reſipiſcat. Et gaudeo planè pœnituiſſe, ut tu dicis Anonime, Patrem Pereninum, veruntamen, quod illum falſis adcuſationibus oppreſſum fuiſſe, ejuſque propterea vindicandi cauſa neſcio quos repentina morte ſublatos audeas comminiſci, abes, mea quidem ſententia, non longe a blaſphemia. Deo ne, qui Sanctiſſimum, atque innocentiſſimum Virum Thomam Thournonum, nondum ita fortaſſe vindicavit, id curæ fuerit, ut Pereninum vindicaret? Qui ſtatim ultus non eſt injurias Apoſtolic: Legati, & ſtrenui Fidei propugnatoris, acerbiſſimis odiis ad

mor-

mortem adacti, ſuplicium ſumſerit de adcuſa toribus hominis, ea odii acerbitate minimè vacui, & veniæ, ne quid dicam atrocius, egentiſſimi? Quam ſæpe vos veſtri amor exire facit de poteſtate, de conſilio, de mente, ut etiam eo trahatis caſus hominum, & varia morborum genera, quo certè pertinere non poſſunt: aliud enim Evangelium condere, aliam fidem neceſſe eſt, ſi Pereninos adcuſare non licet, atque reprehendere; ſi eam, quam Chriſtus promulgavit, teneamus, planè licet, & eſt in adcuſandis, & reprehendendis gloria. Præterea calumniari quum ſit turpiſſimum, & profligati animi indicium, quid demum adferri poteſt, cur Jeſuitæ immerito adcuſari, Dominicani vero, & Cappuccini calumniari dicendi ſint? Utrique ſanctiſſimi eſſe volunt, tantoque magis a ſcelere, quod eſt cum honeſto, tum imprimis Chriſtiano homine indignum, longe abeſſe, atque abhorrere, quanto præ Jeſuitis, re omni humana poſthabita, uni veritati, uni Deo, uni Eccleſiæ vacarunt. Hæc eo dicta ſint, quo ſentiant, quam facile, melioribuſque indiciis repelli poſſet, ſi opus eſſet, tam importuna criminatio. Ceterum utri calumnientur, & mendaces habendi ſint, luculentius, quam ut poſſit a quoquam ignorari, ipſa, quæ finita eſt, cauſa demonſtrat: intelligat Anonimus, intelligat Pater Du Halde, eorumque ſimiles, jam non de controverſia, ſed de obſequio, & reverentia cogitandum eſſe; ante Dominicanos, Franciſcanos, Cappuccinos ab Eccleſiæ ſenſu, & ſocietate ſejungendos eſſe, quam poſſint mendacii, atque inſcitiæ inſimulari; ſe ſe demum ſuorum etiam exemplo, atque auctoritate confici, atque damnari.

Lettera di Monſig. de Viſdelou Geſuita al Re di Francia.

Ho condannato veramente la condotta di Monſig. di S. Tommaſo, e ſopra tutto de' Geſuiti, e la condanno ancor oggi avanti Voſtra Maeſtà, la condanno alla faccia di tutta la Chieſa: non ſi poſſono combattere i loro ſentimenti, benchè con ciò uno ſegua quelli della Chieſa, ſenza eſſere dichiarati loro nemici ipſo facto : *maſſima pernicioſa, colla quale ſi chiude la porta alla verità, e che con uno ſtraordinario ſconvolgimento fa loro riguardare gli amici per nemici, e gli nemici per amici.*

(14) *Plebecula vini potrix*, &c. Adeo ridiculè ſanctum eſt in Regno Malabarico Nobilitatis nomen, ut animas vulgi, alia ac Nobilium natura conſtare putent. Præſertim vero viliſſimi habentur *Parreas*, ita enim vocantur qui ſunt ex infima plebe, quod vino utantur, & carnes bubulas comedant. Itaque qui nobiles cenſentur nec ſalutatione, nec ullo alio humanitatis genere dignantur *Parreas*. Jeſuitæ veriti non ſunt hanc Nobilium inſaniam fovere, *Parreaſque* a ſe omnino removerunt. Si quando autem illis Sacramenta miniſtrare opus fuiſſet, id noctu, atque in occultiſſimis locis pera gebant. Decretum extat Caroli Tournonii, quo Jeſuitis cum iſtud, tum alia multa abſurda prohibentur.

(15) *Imprimis fieri qui poſſet*, &c. Hæc fere commemorat, atque amplificat Anonimus, ut ſuos Theologos, & Caſuiſtas defendat. Perfacilis ſane, & perexpedita defenſio, niſi extarent eorum volumina, quorum lectione manifeſta cuique ſunt prava dog-

dogmata, atque intollerabiles corruptelæ, quibus redundant.

(16) *Peccata legenti Sanchez, &c.* Iſte nominatur, quia hunc præ ceteris ita commendat, & copioſa oratione illuſtrat Anonimus, ut pene aras extruat, & ſacram præparet apotheoſim. At vereor ut eam impediant, quæ patravit miracula præter omnium Sanctorum conſuetudinem. Nam ex indicis particula *litt. S. Sanchez inſegna il probabiliſmo in tutta l' ampiezza pag.* 22. *Soſtiene neceſſaria l' avvertenza attuale per peccare* 95. *e* 96. *riſpiarmi molte colpe a' briachi pag.* 103. *inſegna non dovere il Confeſſore avviſare il penitente ignorante* 110. *e* 111. *Difende che l' infedele non è tenuto a farſi Cattolico, quando giudica probabile la ſua Setta, ancorchè giudichi più probabile la Religione Cattolica* 183. *e* 184. *Favoriſce i Mercatanti falliti* 341. *Inſegna poterſi andar in ricerca di Teologi fin tanto che ſe ne ritrova uno, che ſecondi il proprio genio.* 382. *Inſegna, che il Suddito può reſiſtere al precetto del Superiore in virtù della opinione manco probabile* 584. Ego manibus Sanchez bene precor, de iis tamen quid factum ſit viderit Deus. Alterutrum eſt pervincendum aut iſtaec foeda non eſſe, aut a Sanchez voluminibus abeſſe: neutrum perficere quum valeant, finem Sanchez efferendi faciant; neque enim ita probitatis Scriptorum habenda eſt ratio, ut nobis ipſis, atque oculis noſtris fidem negare debeamus. Atqui eſt plane ridiculum, ut qui eximiam Auguſtini, Thomæque ſanctitatem reveriti non ſunt, velint, nos objecta ſpecie mediocris probitatis, obmuteſcere.

(17) *Quanti infercire libellos, &c.* Eos quidem libellos, qui ſunt de vita ex Evangelio inſtituenda

aſſiduitate legendi nihil eſſe homini Chriſtiano ad bene, ſanċteque vivendum efficacius, atque opportunius, qui inficias ierit, puto eſſe neminem; quum ſit veriſſime dictum a S. Gregorio: *facile cor humanum his, quæ frequentat, adhæret*. Ne tamen eam horum libellorum proluviem, quam augent in dies Ignatiani, magiſque ut augeant, optare ſe ait Anonimus, probem, atque ſuſcipiam, deterreor ſane ex eo, quod cum in aliis ſcientiis, tum in hac plane divina, dum nova quæque homines conſectantur, ſæpiſſime, miſſis frugibus, glande veſcuntur. Nec vero ſatis perſpicere valent prudentiores, quid demum commodi adferant etiam in hac ſanctiſſima facultate tot tenuium ingeniorum lucubrationes; niſi illud loco commodi habendum ſit, quod optimos ſanctioris vitæ Magiſtros e Chriſtianorum manibus eripiant. Sed tamen hoc etiam Anonimo concedamus, magnum eſſe in tanta horum libellorum ferragine operæ pretium. Quid iſtuc ad Hiſtoriam Probabiliſmi? Quid ad Sanchez, Tamburinum, Buſſembaum? Quid ad morum corruptelas? Nonne fatendum eſt merito a Montaltio irriſos fuiſſe: *Exprobat aliquis mollitiem ipſis, & indulgentiam: continuo rigidos illos Doctores opponunt, itemque quoſdam libros ab ipſis de Chriſtiana vita ſeverius ſcriptos*.

(18) *Evelliſſe Dei, &c.* Legatur hiſtoriæ utrumque volumen, ubi hujuſmodi Caſuiſtarum opiniones paſſim refert, ipſis eorum verbis, atque erudite refellit P. Concina. Jam vero in ea diſputatione, quam cum Viris eruditis habuiſſe ſe dicit Pater Concina, atque refert in altera Epiſtola ad Epiſcopum N.N. *pag. mihi 76.* de quadam celeberrimi Chriſtiani Wolfii opinione, qua ſtatuit [*Theol. Ratio: part.*

2.

2. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. 429.] fieri poſſe, ut quiſquam ſimpliciter, ut ajunt, ignoret eſſe Deum, nonnulla deprchendere videor, quæ ſatis probare non poſſum. Ea vero, quoniam ita fert occaſio, proponam, diſcendi magis cauſa, qua quo aut P. Concinam, aut viros illos eruditos reprehenſos velim. Primum itaque Concinæ non aſſentior, quod velit, nulli non obnoxium culpæ fuiſſe hominem illum ſurdum, & mutum, cujus exemplum adfert Wolfius ex hiſtoria Accademiæ Regiæ Pariſinæ, propterea quod nulla Dei notitia, aut præſentione imbutus eſſet. Nam quum Deum eſſe non ſit animis noſtris innatum, neque [ut habet D. Thomas *p. p. q.* 2. *art.* 1. *in arg.* ſed contra] ex earum veritatum genere, quarum ſenſus ſtatim mentem percellit, ac vocabulorum ſignificationes perſpectas habemus; ſed ut ex contemplatione Mundi intelligamus, aliqua demum ſit opus ratiocinatione; quî fieri poteſt, ut culpa non vacaret homo ille, qui, quod uſu rationis omninò careret, in ea ignoratione verſabatur? Neque enim ita comparati ſumus, ut ratiocinari, atque una rationis uſu carere poſſimus; imo vero pugnant iſta, quam quæ maxime. Non poterat itaque homini illi crimini dari, quod erat naturæ vitio tribuendum, ſiquidem vera ſunt, quæ habet Wolfius Pſichologiæ rationalis *ſect.* 1. *cap.* 4. §. 461. „ Quod vero in aliis „ loquelæ expertibus, qui inter homines commo- „ rantur, cœca imitatione actionum in aliis a „ ratione pendentium, imponi nobis poſſit, quaſi „ rationis indicia præberentur, alio quodam non „ minus memorabili exemplo comprobatur, quod „ in hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſi- „ næ anno 1703. commemoratur. Etenim Juvenis

„ qui-

„ quidam a nativitare Surdus, & Mutus a Paren-
„ tibus Religioni Pontificiæ addictis edoctus fuerat
„ ea omnia, quæ in externo Cultu Divino obſer-
„ vanda, veluti, ut ſigno Crucis notaret frontem,
„ os, & pectus; ut aquam Benedictam, ſeu lu-
„ ſtralem faciei aſpergeret, ut in genua procide-
„ ret, & geſtus precantis imitaretur. Cum caſu
„ fortuito auditus compos factus eſſet, ſonu Cam-
„ panarum in aures prope adſtantis illapſo, &,
„ quatuor circiter menſibus elapſis, verba imper-
„ fecta fundere didiciſſet, non ſolum nullam de
„ Deo, anima, & moralitate actionum ideam
„ habere deprehendebatur a Theologis ſolerter exa-
„ minatus; ſed & eum nunquam animum adver-
„ tiſſe ad ea, quæ alios imitatus didicerat, mul-
„ to minus ſuper iiſdem reflexiſſe, palam erat; con-
„ tentus quippe ſimplici ſenſibilium ipſi oblatorum
„ perceptione. Videmus itaque, hominem ſermonis
„ uſu minime pollentem imitatum fuiſſe ea, quæ
„ vidit in aliis, ſed abſque omni attentione, &
„ reflexione, & abſque omni prorſus rationis uſu;
„ quippe quem abſque attentione, & reflexione dari
„ minime poſſe negandum non eſt; cum attentio-
„ ne, & reflexione opus ſit ad conſequendas no-
„ tiones univerſales, ſine quibus nullus eſt rationis
„ uſus. „ Quamquam vero ſtatuat Wolfius, [*Theol. Rat. part. 2. ſect. 2. cap. 1.* §. 429.] fieri poſſe, ut homini cuiquam nulla ſit Dei notio ſaltem diſtincta; atque inde [§. 430.] ut quiſquam hominum ſimpliciter ignoret eſſe Deum; non ita tamen intelligendum eſſe puto, quaſi ſtatuere velit, ita fieri poſſe, ut ea ignoratio ſit inſuperabilis, quod eruditi illi Viri exiſtimare videntur, ab iiſque quidquam oſtendi mihi velim cum in argu-

men-

mentis, tum in exemplis, quibus utitur Wolfius, ex quo conijcere poſſimus, ita illi fuiſſe perſuaſum; aut, generatim loquendo, de ignorantia, quæ vinci non poteſt, intelligendum eſſe Wolfianum *Theorema*. At, inquies, illud confirmat Wolfius exemplo illius ejuſdem hominis, cujus ignorantiam inſuperabilem fuiſſe contendis. Ita plane; confirmat tamen etiam exemplo Sinarum, quos etiam Deum ſimpliciter ignoraſſe docet; ſed Sinarum ignorantiam haud inſuperabilem fuiſſe, & crimini propterea Sinas obligatos fuiſſe, nemo adfirmat diſertius, quam idem Wolfius (*in notis ad Orat. de Sinar. Philoſ. pract. num.* 54.] „ Minus ergo peccarunt „ Sinæ, quam Gentes ceteræ, cum verum Numi„ nis cultum tantummodo omiſerint ob ipſius igno„ rantiam; hæ autem præterea Deum modo minus „ decente coluerunt, imo cultum ipſi debitum „ Idolis detulerunt. Magis autem peccare, qui „ cum peccato omiſſionis conjungit peccatum com„ miſſionis, quam qui illius tantum culpa tenetur, „ nemo negare poteſt. „ Non utique ſibi conſtaret accuratiſſimus Philoſophus, ſi cujuſque, qui ſimpliciter ignorat eſſe Deum, inſuperabilis eſſet ignorantia. Illud itaque, niſi fallor, dumtaxat Wolfio erat propoſitum, ut, quod ſpectata rei natura, fieri poſſe intelligebat, demonſtraret: nempe, quemquam eſſe, qui ſimpliciter ignoret eſſe Deum, eumque ab atheis ſecerneret. Quum vero aliud plane ſit; fieri ne poſſit, ut quiſquam ſimpliciter ignoret eſſe Deum; aliud vero, an ita fieri poſſit, ut ignoratio ſit inſuperabilis; neque ita unum ex altero conſequatur, ut a ſe invicem divelli nequeant, quod eſt etiam ex ſententia Wolfii exploratiſſimum; ſine cauſa eidem primum dunta-

taxat adfirmanti alterum quoque adfingitur; quandoquidem nec proponit ipſe, aut ullo argumento conſtituit, nec quidquam adfert, ex quo conſtituere voluiſſe, conjicere poſſimus. Neque vero me movet, quod hominis illius ſurdi, mutique adhibeat exemplum: nam, ut quemquam eſſe, qui ſimpliciter ignoret eſſe Deum, exemplis confirmetur non repugnare, nihil omnino intereſt ſuperabilis ne ſit, an vero inſuperabilis ignorantia. Nego itaque, & quidem etiam ex ſententia Wolfii, Deum eſſe, latere poſse quemquam hominum ignoratione inſuperabili, ut locus ne ſit errori *Philoſophiſmi*, quem Eccleſia damnavit. At, inquies, non ne huic errori locus eſſet, ſi hominem illum ſurdum, & mutum a culpa liberamus? Nego vero: ſi enim, quod vitio naturæ educationi non eſſet opportunus, rationis uſu carebat, nec a brutis, pueriſve differebat, contra, ac ratio poſtulat, agere non poterat: eſt autem Philophiſmi error actio áb homine rationis compote perpetrata, quæ, quum rationi repugnet, Deum non offendit. Sed legatur prior Hiſtoriæ diſſertatio, ubi P. Concina erudite tractat de peccato Philoſophico, quod PP. Martinonio, Molinæ, Arriagæ, Beonio, aliiſque non paucis, ſi Superis placet, *optimis Theologis*, acceptum ferimus. Quoniam vero Deum eſſe rationis lumine cognoſcimus; rationis autem ineſt in animis noſtris vis, & facultas, cujus uſum educatione comparamus; propterea dicimus, notitiam Dei *nulli non alte corde repoſtam*; Non ſecus, ac legis naturalis, quæ item ratione nobis innoteſcit: magis enim arridet Wolfius, quam Heineccius, cum *de principio cognitionis* legis naturalis philoſophantur.

(19) *Alium non pendere magni*, *&c.* Epiſtolæ Segnero adſcriptæ, & nulla re alia, quam inani loquacitate probabiles jactant, Jeſuitas probabiliſmo adhæſiſſe, ut optimam inirent Janſeniſmi oppugnandi viam. O Medinæ mentem acutam, & divinatricem! Dudum tamen eſt, quod Viri docti, atque etiam Pater Concina id perfecerunt, ut manifeſtum eſſet, Janſeniſtas, quo pertinacius in ſuo errore perſeverent, nulli rei magis fidere poſſe, quam probabiliſmo; nemoque ignorat, quid univerſim de homine hæretico, cui ſit perſuaſum, Sectam ſuam eſſe probabilem, nulli autem non perſuaſum eſt, ſed vero Catholicam Romanam probabiliorem, ſtatuerint Probabiliſtæ, atque imprimis Sanchez, pro quo tamen Anonimus (*pag.* 146.) *Non è dunque vero, che il Sanchez ſoſtenga, come l' Infedele può perſeverare tutta la ſua vita nell' infedeltà, ſul fondamento dell' operare probabile. Queſte parole* [tutta la ſua vita] *non ſi trovano ſul Sanchez, bensì ſono ſtate dal R. P. J. aggiunte con la ſua punica fede.* At quî poſſunt, per Deum, tam aperte mentiri? En verba Patris Sanchez: judicet Lector, qua fide egerit P. Concina, qua item Anonimus: „ Dum In-
„ fidelis ſibi perſuaſum habet ſuam Sectam eſſe pro-
„ babilem, quamvis contraria ſit probabilior, te-
„ neretur utique in articulo mortis conſtitutus ve-
„ ram fidem, quam probabiliorem judicat, am-
„ plecti; utpote qui in eo articulo eſt conſtitutus,
„ in quo de extrema ſalute agitur; ac proinde
„ partem, quam tutiorem, & probabiliorem judi-
„ cat, amplecti tenetur. AT EXTRA EUM ARTI-
„ CULUM non tenetur; quod adhuc prudenter exi-
„ ſtimet ſe poſſe in ſua Secta perſeverare, tempuſ-
„ que rei melius examinandæ ſuperſit. En punica

Concinæ fides. At ſi Infidelis iſte ictus apopleſia, aut ex alio vulnere ſtatim moreretur, quid de eo, quæſo, fieret? certe non damnabitur, quia *prudenter* exiſtimavit, *ſe poſſe in ſua Secta perſeverare*: igitur *ab infidelitate excuſabitur non credens ductus opinione minus probabili*; atqui hæc eſt ipſa propoſitio damnata ab Innocentio XI. ergo Sanctiſſiſſimus Sanchez, cum in aliis multis, tum in hac damnata ab Eccleſia opinione omnino fuit; fruſtraque laborat Anonimus in eo vindicando.

(20) *Cætera turba, &c.* Hæc eſt vervex illa, atque omnis expers diſciplinæ Caſuiſtarum plebs, quæ ſolet ab Alvaro, & Pomeo in Sanchez, & Buſſembaum inſilire; poſthabitiſque æqui, bonique principiis, noctes dieſque, conſcientiæ, ut ajunt, caſibus, quos confingit ſæpe ridiculos, nunquam non inutiles, enodandis impalleſcere. Qualem novi ita deſcribo; ſed de illius inſcitia, atque etiam petulantia non tam multa dici poſſunt, quin plura dicenda ſuperſint. Vide adnotationem *num.* 23. Ab hac vero ne ſemidocta quidem Caſuiſtarum turba magni fieri Buſſembaum, Dianam, Tamburinum, alioſque ſimiles, nemo ſanus ægre tulerit. Hanc Sermonis partem quum amico recitarem, veniſſemque ad illud: *tamen hi placeant ne bonis, non pluribus, &c.* narravit ille mihi hiſtoriolam ſane lepidam: eſſe Romæ doctiſſimo Cardinali Paſſioneo valde ſelectam Bibliothecam: in eam vero quum ingreſſus fuiſſet aliquando Cardinalis, deprehendiſſetque inlatum, repoſitumque, caſu neſcio quo, Buſſembaum, vehementer præfecto iratus, quod talibus Bibliothecam ſuam dehoneſtaret, arreptum Buſſembaum e feneſtra projecit, vetuitque ne poſthac ſimiles inferret.

(21)

(21) *Quum Lucius unus, & alter, &c.* Duo Græculorum Principes, quorum tamen nomina pro tota verſificatorum, atque oratorum Jeſuitica intemperie heic uſurpantur. Lucii ſermones, qui Philocardio interpreti digni videntur homine delicatiſſimi in litteris faſtidii, ſunt quidem, ſi latinitatem ſpectes, Hoſchiis, & Bidermannis tolerabiliores:

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera;

Nam ſententiam ubique levem, atque inanem, quandoque ſordidam minime probare poſſunt litterati homines, atque a ſtudio partium alieni. Ne ſingula vero proſequar, non deerant Lucio ex ſuis ſexcenti, quos illi ſimilitudini,

Sic aſinos videas, coſtas conjungere coſtis,
Officioque pari ſe ultro, citroque fricare,

Si ſubjeciſſet, longe vividiorem, atque elegantiorem effeciſſet; verum quod eidem Salvinum, & Lazarinum Viros doctiſſimos ſubjecerit ridiculam plane, atque etiam inhurbanam effecit homo inconſideratiſſimus, qui ſe ſe Patrum, neſcio quorum, teſtatus eſt etiam peccata admirari. Non item ex ſuis deerant alii bene multi, quos Urſio, & Corſinio ſi ſuffeciſſet, invidia imprimis caruiſſet ob affectatam dehoneſtandi Viros optimos libidinem, vereque Græculos videri potuiſſet inſectari: „ in tantis enim „ (inquit Aurelius in vindiciis *pag.* 241.) „ laſcivientium Scriptorum acervis, ita „ paucos pro illa multitudine reperias, quos per„ penſa rerum cognitio, librata judicii maturitas, „ dictorum ſuorum, alienorumque delectus com„ mendet: ita verò multos, in quibus nihil ſin„ gulare præter promiſcuam loquacitatem, teme„ rariam de rebus ignotiſſimis, & minime medita„ tis diſſerendi fiduciam, incredibiles a veris pu-

„ riſque fontibus evagationes , importune ſolum „ repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros , im- „ paria undique materiis propoſitis ingenia ; ut „ minus mirari oporteat paucos illos extitiſſe , qui „ ſœculo laboranti ſubvenirent , quam hoſce tam „ multos, viliſſima imperitiæ mercimonia , palam „ proponere auſos eſſe , quibus rude vulgus , & „ Semidoctorum turbam , quæ longe maxima eſt, „ ac ſemper fuit , inducerent .

(22) *Et Paulinos* , *&c.* Inter Aonios , & Muretos , qui ex Alvari, & Pomei officinis oratores non exiſtunt, merito nominatur *Paulinus a S. Joſepho* S. P. Profeſſor eloquentiæ publicus in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ, rerum Mathematicarum ſcientia clarus , & nitidiſſimus Scriptor multarum Orationum, de quibus Walchius in hiſtoria critica latinæ linguæ *cap.* 12. §. 4. „ Adparet in hiſce Ora- „ tionibus magna eloquentiæ vis , elegans , & ca- „ ſta dictio , Sententiarum ſplendor , & gravitas ; „ hiſque virtutibus ad laudem Oratorum veterum „ accedunt , ſuoque Auctori merito inſignem inter illos, qui noſtro ævo facundia ſua eloquen- „ tiæ litteras ornant , locum vindicant .

(23) *Circum aut Veſtalis ludere mammas* , *&c.* Convenit me non ita pridem, dum hæc ſcriberem , Vir nobilis , atque imprimis litteratus , qui primo pauca ad rem noſtram, deinde vero : furere Caſuiſtarum plebem , ſubiraſci Patri Concinæ, atque etiam Romano Pontifici ob oppugnatum , confixumque cujuſdam Benſi libellum ; vociferari eidem affinem eſſe Tamburinum ; tactus neſcio quos mamillarum eſſe dumtaxat ſubimpudicos , ſive actus ſubimpudicos non eſſe impudicos . Ego rem , uti noveram, expono . Tum ille : Vah inſcitiam Caſuiſtarum , at-

que

que inſignem temeritatem, quæ Sectam inſtaurat in Eccleſia Romana longe deteriorem, quam quæ olim exorta eſt inter Anabaptiſtas, (vide Petrum Baylium *Tom.* 3. *art.* Mamillares) quorum plerique etſi pœna liberabant, peccato tamen non abſolvebant juvenem illum, quem alii, inito conventu, excomunicationi ſubiiciendum cenſebant, quod in ſinum Virginis ſibi deſponſatæ manus inſeruiſſet. Quid ad hæc diceret Anonimus, qui negat, [*pag.* 39.] jure Nos ex hac parte ſollicitos habere maledicta, atque irriſiones Hæreticorum, ut quorum ſit turpior diſciplina, & vita ſolutior? Ego tamen noſtra non valde intereſſe puto, qua demum ratione vitam exigant hæretici homines; ſed cavendum eſſe diligentiſſime, nequa iis perverſitate doctrinæ copiam demus catholicos inſectandi; neque iis jure obijci cum doctrinæ, tum vitæ graviora peccata, quum aliquid, quod merito reprehendant, noſtros effutire contingit, ſaniores facile dabunt.

(24) *Et melius diſces cognoſcere Buſſembaum, &c.* Gratulor magnopere Anonimo, quod magnus ſit, ut ſæpe jactitat, apud Jeſuitas Oratorum proventus; neque defuturi ſint propterea, qui Patri Concinæ reſpondeant. Gratulor, inquam, at vereor ne ſint idonei Oratores huic muneri; in hiſce enim controverſiis opus eſt Theologis, qui ſciant non imperite litteris mandare cogitationes ſuas: quamquam enim non ſit Orator, niſi qui ſit doctus; doctus tamen eſſe poteſt, qui non ſit Orator. Multa huc ſpectantia tradunt erudite Aniceti Nemeſii Dialogi duo italice ſcripti. Quando tamen Pater Concina id aſſequitur, ut niteſcat morum doctri-

na,

na, & Probabiliſtæ miſerabiliter ingemiſcant, ſatis videtur habere ſucci, & eloquentiæ, atque unus poſſe decertare cum iſtis Oratoribus. Cetera Phædrus *lib.* 1. *Fab.* 11.

F I N I S.

ERRATA.	CORRIGE,
Pag. 7. verſ. 24. *qui pariter.*	*qui puriter.*
Pag. 8. verſ. 21. *Exuriit.*	*Eſuriit.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google